





REGINA APIUM


Rēgī trēs filiī erant. Duo majōrēs patrem domumque reliquērunt ut dēliciās voluptātēsq̄e vītae gustārent, sed nimis lūxuriōsē immoderātēque vīvēbant, omnem pecūniam perdidērunt, nec umquam postea domum rediērunt. Ergō minimus nātū frāter, nōmine Caudex — ideō sīc appellābātur quia frātrēs eum stultum crēdebant — cōsiliū cēpit ut frātrēs quaereret. Sed, postquam diū quaesivit atque eōs invēnit, frātrēs eum irrīsērunt dīcentēs, “Ō Caudex, putāsne tē stultum posse melius vītam agere quam nōs callidōs? Hahae! Vīderīmus quam stultē vītam agās, Caudex!”



Deinde trēs illī frātrēs sē in viam dedērunt. Dum iter faciunt, nīdum formicārum offendērunt. Duo frātrēs majōrēs nīdum formicārum disjicere volēbant ut formicās territās hūc illūc currentēs ōvaque sua portantēs vidērent. Caudex autem vehementer suāsīt ut formicīs parcerent: “Nōlīte bēstiolīs illīs nocēre nec nīdum eārum disjicere! Nōn sinam vōs eās laedere!” Formicās igitur incolumēs reliquērunt atque iterum sē in viam dedērunt.


Paulō post ad lacum pervēnērunt ubi multī anatēs natābant. Duo frātrēs majōrēs anatēs capere caedere coquere voluērunt. Caudex autem vehementer suāsīt ut anatibus parcerent: “Nōlīte anatēs illōs capere! Nōn sinam vōs eōs laedere!” Anatēs igitur incolumēs reliquērunt atque iterum sē in viam dedērunt.





Paulō post ad arborem altam pervēnērunt ubi alveārium erat tantō melle onerātum ut dulcis ille liquor ē truncō arboris efflueret. Duo frātrēs majōrēs ignem sub arbore accendere voluērunt ut apēs fūmō suffōcārentur. Caudex autem vehementer suāsit ut apibus parcerent: “Nōlīte apēs illās ūrere! Nōn sinam vōs eās laedere!” Apēs igitur incolumēs reliquērunt atque sē in viam dedērunt.


Paulō post ad magnum palātium pervēnērunt. Equī, mīrum in modum saxa facta, in stabulīs stābant neque ūllī hominēs illīc vidērī poterant. Trēs frātrēs per omnēs palātī aulās errābant dōnec ad jānuam tribus pessulīs clausam pervēnērunt. Jānuam aperīre nōn poterant, sed jānuae parva fenestra erat. Per hanc fenestram vetulum quendam cānō capite in conclāvī sedentem vīdērunt. Nōn semel sed bis eum vocāvērunt, at ille frātrēs nōn animadvertit. Tandem tertiō vocātus, surrēxit et jānuam reserāvit et exiit. Deinde tacēns frātrēs ad cēnam lautē parātam dūxit. Postquam illī bene cēnāvērunt et multum bibērunt, utrumque frātre ad cubiculum dūxit. Māne vetulus ad frātre maximum vēnit atque eum ad mēnsam lapideam dūxit, in quā trēs labōrēs īnscriptī sunt. Hīs tribus labōribus perāctīs, palātium et omnēs habitātōrēs ejus ex incantāmentīs cujusdam sāgae solverentur.



Prīmus labor erat mīlle margarītās rēgis filiae ante occāsum sōlis colligere. Hae margaritae in silvā muscō humōque opertae jacēbant. Sī vel ūna quidem ex mīlle margarītīs dēssset, frāter ille maximus lapideus fieret. Intrāvit silvam maximus frāter, et margarītās in terrā tōtum diem dīlīgenter quaesīvit. Sed, quoniam margaritae muscō opertae facile vidērī nōn poterant, tantummodo centum colligere poterat. Itaque sōlē occidente lapideus factus est frāter maximus, ut īnscrīptiō in mēnsā praemonuerat.

Postrīdiē secundus frāter eundem labōrem suscēpit. Neque eī rēs bene ēvēnit. Nōn enim plūs quam ducentās margarītās collēgit. Itaque sōle occidente lapideus factus est perinde ac frāter maximus.

Tandem Caudicī margaritae colligendae erant. Sed ille statim agnōvit nimis difficile esse margarītās muscō humōque opertās in silvā invenīre et sē frūstrā eās quaerere. Itaque ā labōre dēstitit et in saxō cōnsēdit ac fātum suum dēflēre coepit. Dum sedet, rēx formīcārum, cuius vītā et nīdum Caudex servāverat, cum quīnque mīlibus formīcārum silvam intrāvērunt. Formīcae omnēs margarītās collēgērunt atque eās ante Caudicem accumulāvērunt.



Deinde labor secundus Caudicī agendus erat: clāvem in lacū petere quō jānuā cubiculī filiārum rēgis reserārētur. Cum Caudex ad lacum advenīret, anatēs quōs servāverat ad eum annatāvērunt, sē in aquā mersērunt, clāvem petiērunt, eumque ad Caudicem attulērunt.

Tunc labor tertius Caudicī agendus erat, quī labor difficillimus omnium: filiā minimā rēgis agnōscere et rēgī dēmōnstrāre. Trēs enim filiae rēgis omnēs dormientēs tam similēs vidēbantur ut nōn alia ab aliā dīnōscī posset. Tantum in hāc ūnā rē differēbant: dulcia varia comēderant antequam obdormīvērunt: saccharum comēderat maxima, syrupum secunda, minima mel. Tunc advolāvit rēgīna apium quōs Caudex ab igne servāverat et labrīs cuiusque puellae īnsēdit atque ea gustāvit. Postrēmō labrīs minimae puellae remānsit quae mel comēderat, et sīc Caudex agnōvit puellam quam quaerēbat.



Tribus igitur labōribus perāctīs, tandem palātium et omnēs habitātōrēs et duo majōrēs frātrēs ab incantāmentīs solūtī sunt: hominēs ā sopōre excitātī sunt atque equī et cēterī quī saxa factī erant fōrmās prīscās sibi resūmpsērunt. Caudex autem puellam minimam in mātrimōnium dūxit ac post mortem rēgis jūstē rēgnāvit. Frātrēs ejus vērō reliquās puellās dūxērunt.

